



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Goar Conf. 6. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

WILHELMVS propioribus oculis
aspexit anno Christiano MXCI. Ex
Trithemio.

S. GOAR CONF. 6. Iulii.

IVre meritissimo inter Apostolos suos
GOAREM numerant Trevirenses, ut
quibus ille superstitione implicitis in-
ter primos DEVM nuntiavit. Sed dum
illū æquis auribus vel maxime audivit
populus, iniquis invidia oculis specta-
vit. Quare more suo subornavit, qui
apud Archiepiscopum innocentiam ejus
infirmularēt. Gemini erant è fraudibus
& mendaciis compositi. Eos GOAR
ad se venientes, ut vindictam Christia-
nam sumeret, amicè accepit & ad men-
sam invitavit. Sed eadem invidia, quæ
non nisi infelicitate GOARIS pasci,
nec bibere nisi hujus sanguinem ave-
bat, respuit aliis famem aut sitim pel-
lere. Quare ex itinere defecissent scili-
cet, nisi semper ad vindictam vigilans
GOAR feras Christi imperio advocas-
set, & earum lacte recreatos hostes ani-
mam sibi fecisset debere. Ad tribunal
Archiepiscopi ubi ventum, luce clarius
meridianâ apparuit innocentem esse
GOAREM, quando palliū suū in ipsius
solis radiis suspendit. Adhæc ex puero
projectitio cum jussu Archiepiscopi
nomen parentis quæsiisset, ecce facun-
dissimus infans linguâ digitoq; ipsum
Archi-

Archiepiscopum prodidit. Erat hoc scilicet absolvere reum & Iudicem damnare. Quare populus ad insulam GOAREM velle vocare, & cum respueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum ægritudo absolvit, quam precibus à cælo extorsit. Præstare credidit morbo quàm ambitione laborare.
Ex Suiso.

S. GODELEVA M. 6. Iulii.

Quoties fallit Amor positâque larvâ tyrannum se ostentat? Ecce hic etiam dies exemplum oculis exhibet. Adverte animum quisquis blanditiis ejus credis neque fallacias caves. Deperibat GODELEVAM nobilem Virginem nobilis item juvenis Bertulphus. Verùm cum primùm ex voluntate parentum domum Sponsam deduxit, amor ille omnis in odium degeneravit, & primâ jam nocte aspectum non sustinuit ejus ferre, cujus absentiam mortem nuper crediderat. Quare vel enecare vel certè à sese abigere aggressus, non nisi unicum panem quot diebus dedit. At illa patientiâ ad omnes injurias obarmata, cum multa animi grati significatione accepit, & hunc ipsum cum pauperibus sibi communem esse voluit tam diu, dum fugam ad parentes nudis pedibus coacta fuit arripere. Cæterùm cum sacri homines sese